

DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE  
**CRIMINE ATHEISMI**  
*Cogitationes quasdam propositura,*



CUJUS PARTEM POSTERIOREM,

*Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboënsi,*

Publice examinandam proponunt

**HENRICUS SNELLMAN,**

Philosophiæ Magister & ad Reg. Acad. Biblioth. Aman.  
Extraord.

&

**ERICUS ELFGREN,**

Ostrobotnienfes.

*In Audit. Maj. d. 10 Junii 1803.*

H. A. M. S.

---

ABOÆ, typis Frenckellianis.

DISSERTATIO ACADEMICA.

DE

CRIMINE APOSTHEISMATIS

CAUSAS ET PUNITIONEM

CAUSAS PARS I. POSTERIOR

CAUSAS PARS II. ANTERIOR

ERUDITIONE ET CRITICA

HENRICUS SWELLMAN

PHILOSOPHUS ET JURISCONSULTUS

LEONARDUS

&

ERICUS ALGERIUS

PHILOSOPHUS

PHILOSOPHUS ET JURISCONSULTUS

LEONARDUS

ADOLESCENTIA ET PUNITIONE

§. V.

Multo minus, qui argumentorum pro Dei existentia probanda adductorum, quæ aliis firmissima videntur, unum aut alterum, ceu minus validum respuit, ideo mox Atheorum est gregi annumerandus, licet etiam minus provide, nec satis idonea nixus ratione, id faciat (a). Negandum tamen non est, in re tanti momenti præcipitanter atque temere haud esse agendum. Nec carent culpa, qui vel novi-

C ta-

(a) Sic olim Wolfio crimini fuit datum, quod argumentum pro existentia Dei, a finibus ductum (quod rite adornatum utique firmum est minimeque sugillandum) improbare, atque soli illi a contingentia mundi ducto veram vim inesse urgeret. Sic hodie Kantius cum sectariis suis, argumenta alia omnia, præter suum illud morale (in quo alii circulum latere non sine causa contendunt) elevant. Ipse tamen illorum Princeps in Crisi sua Rationis puræ, interdum ita loquitur, ut credas eum illud Teleologicum non omnino rejicere (ut sæpe sunt ejus pronuntiata ambigua, nec ubique sibi consentientia), quod alibi aperte damnat, & vi Systematis sui damnare debet. Non tamen ideo illis Atheismi est culpa obvertenda, Id autem absolum merito habeas, quod sectarios ejus quosdam ei meriti instar tribuere videas, quod hoc argumentum non penitus rejecerit, quasi Deum vel tollere vel conservare, in ejus arbitrio steterit, & quasi gratia ei debeatur, quod hac potentia sua, non rigidissime usus sit.

ratis studio, vel alia quacunq; minus idonea ducti ratione, argumenta omnia hactenus probata, imprimis si hoc petulanter fiat, rejicientes, ficulneum quoddam a se inventum, ut unice firmum substituant. Si vero quis non modo creationem mundi Deo abjudicat, sed etiam providentiam Divinam simul explodit, (quæ cum creatione mundi libera & sapienti, arcto adeo cohæret nexu,) nulla nobis ratio superesse videtur, cur tales homines Atheorum numero eximamus, errorem tuentes humano generi maxime perniciosum, & qui Deum colendi causam omnem & pietatis erga eum officia cuncta simul tollat (b). Epicurum igitur, asseveratione sua non obstante, in Atheorum referre non dubitamus numerum; inanes enim Deorum species, quas ad odium declinandum populi, dicis causa finxit, neque cum reliquo systemate suo nexum habent probabilem, neque rationibus idoneis existentia earum demonstrari potest, neque ad virtutis tutelam pertinent, aut omnino ullum hominum vitæ promittunt fructum.

Similiter si Dei negatur potentia, sapientia, bonitas, justitia, sine quibus ne cogitari quidem Deus, nomine hoc dignus, potest, nec nisi umbra inanis relinquitur: nihil superest quod cultum adstruat Numinis,

---

(b) Cfr. CICERO *De Nat. Deor.* L. I, C. 41, 42.

minis, nihil quod tali doctrinæ aliquam addere commendationem possit: quomodo nudum nomen Divinitatis, vel centies usurpatum, ad Atheismi depellendum crimen sufficiet?

Nec minus *Idealistas crassos*, etiam recentissimos, contendimus Athei nomen vere mereri (si sibi contentientes & systemati suo fidi sint) Deum ut naturam a mundo & ejus ordine diversam & distinctam haud admittentes(c), eum nisi ut ideam a mente humana

C 2

for-

(c) Quid itaque de doctrina D:ni FICHTE (si aliorum quidem more hominum locutus is esse putatur) & objecto ei Atheismo, nos censeamus, facile pater. Dicit ille in Proœmio suo, *Dissertationi Forbergianæ*, supra a nobis commemoratæ præmissio (*über den Grund unsers Glaubens an eine Göttliche Weltregierung*): "Es giebt eine moralische Weltordnung oder Weltregierung, und eben diese lebendige und wirkende ordnung" (quid est hoc? ordo vivus & operans! Sed vero alibi nullas existere substantias docens, præter ideas meras nihil admittere videtur!) "ist selbst Gott; wir bedürfen keines andern Gott's, und können keinen andern fassen" (quasi omnino nihil existere possit, quod nos animo comprehendere nequeamus!); Addit: "Es kann eben so wenig dem, der nur einen Augenblick nachdenken, und das resultat dieses nachdenkens sich redlich gestehen will, zweifelhaft bleiben, dass der begriff von Gott, als einen besondern substanz, unmöglich und widersprechend ist." Porro in *Gerichtliche Verantwortungsschriften gegen die anklage des*

formatam agnoscunt, cui extra mentem objectiva aut  
realis existentia non respondeat. Qua admissa do-  
ctrina,

---

*Atheismus*, 1799 8:o hæc ejusdem occurrunt verba:  
 "Gott ist hiernach bloß zu denken als eine *ordnung*  
 "von *Begebenheiten*, keinesweges aber als eine form  
 "der ausdehnung (num est aliquis, qui hoc urgeat?);  
 "er ist ein *reines Handeln* (*Leben und Princip* [non jam  
 "ipse *ordo*, sed ejus *principium*!] einer übersinnlichen  
 "Weltordnung) gleichwie auch Ich, endliche Intelli-  
 "genz, *Keyn Seyn*, sondern ein *reines Handeln* bin:  
 "pflichtmäßiges Handeln als Glied einer übersinnlichen  
 "Weltordnung." Quibus verbis si revera aliquis inest  
 sensus (adeo enim miris utitur phrasibus, ut difficile  
 sit interpretari, quid dicere velit) substantiam certe  
 ut (in) scholis loqui moris est & Ens intelligens Deum  
 non esse, sed merum Accidens Prædicamentale, do-  
 cet; adeoque turpem Atheismum, haud sane injuria  
 sibi objectum, licet vocabulum Dei vel centies usur-  
 pet, proficitur. Sed vero fatendum est, his homini-  
 bus familiare esse, verbis maxime ludere, quo sive  
 veram suam sententiam tegant, vel admirabilitate  
 phrasium suarum alios turbent & obstupesciant.  
 Itaque idem ille FICHTE, qui foedas, quas attulimus  
 sententias accumulavit, nihilominus injuriam sibi fie-  
 ri cum Atheismi argueretur, vehementer questus est:  
 quod ubi Deum esse *substantiam* negat, hac voce non-  
 nisi naturam *extensam & materialem* indicatam velit  
 ("Er verstehe unter Substanz ein in Raum und Zeit  
 "sinnlich existirendes Wesen; er behaupte also, wenn  
 "er der Gottheit die Substantialität und Existenz abspre-  
 "che, nichts weiter als Gott sey keine materie"). Sed

ctrina, de Deo tamen loqui, nihil est nisi verbis ludere & fucum facere hominibus conari; quicquid de cætero, ut a se removeant Atheismi suspicionem, hi homines cum suis Patronis (d), dicant, miris

C 3

ver-

quis ei jus dedit, vocibus communiter usitatis adeo alienam a communi usu notionem tribuendi, & per hanc licentiam homines ludendi? Præterea ipsa ratio systematis sui, tota idealistica, satis ostendit, quicquid etiam dicant patroni sui, Deum illi substantiam, vero sensu sumtam quatenus a mera idea aut accidenti (ut in scholis loquimur) prædicamentali distinguitur, significare non posse; nec ad rationem suam defendendam sufficit, quod significationem vocabuli substantiæ pervertat, & hujus strategematis ope culpam Atheismi a se amoliri conetur. Argutantur ejus Patroni: *Wer da sagt ich glaube an Gott* (licet hoc verbo nonnisi ideam quandam significet, cui nulla respondet natura extra mentem existens) *und eine moralische Weltregierung* (cujus tamen nullus auctor ponitur, siue ullum subjectum sapiens atque potens, a quo pendeat), *der ist kein Atheist*. Aut hi homines verbis turpiter abutuntur, nobisque illudunt, & sonos mente cassos pro rebus vendunt, aut nemo unquam hanc reprehensionem meretur. Accurate sane Philosophiam illorum depingit *Jacobi* (an *Fichte*, Hamb. 1799) scribens: "Das Philosophiren der reinen vernunft muß ein chemischer process seyn, wodurch alles, ausser ihr in nichts verwandelt wird, und sie allein übrig läßt."

(d) Cf. nuper disputata, Not. (c). Rifu vero an indi-

verborum præstigiis impietatem suam velate conan-  
tes

gnatione dignus sit conatus, quo non modo veteres  
Ecclesiæ Christianæ Doctores (Patres vulgo dictos)  
eandem secum de Deo fovisse sententiam, sed Theo-  
logos etiam Protestantes eidem favisse doctrinæ, in-  
cautis illorum nec commodis semper abutentes ver-  
bis atque formulis, ostendere nituntur: qui talia sibi  
tributum iri placita, si præsentire potuissent, toto hor-  
rorem fuissent concepturi animo. Vid. ex. g. libel-  
lum a JOH. ERN. CHRIST. SCHMIDT (*Theol. Prof. Ord.*  
*Acad. Giesiensis*) a. 1799 in Causa Fichtiana editum.  
In defensionem turpis hujus calumniæ veteribus do-  
ctoribus intentatæ, scriptum legas: Wenn diese Theo-  
logen sagten: Gott ist ein Handeln; so ist offenbar,  
dass sie dies handeln nicht wiederum *an ein seyn* an-  
knüpfen und dieses dann Gott nennen wolten. *Sie*  
*setzten dem Handeln kein Handelndes voraus, sondern*  
*das Handelnde war das Handeln selbst. Somit kann*  
*es aber auch nicht anstößig seyn wenn FICHTE sagt:*  
*es liegt kein grund in der vernunft, aus jener moralischen*  
*Weltordnung herauszugehen, und vermittelt eines schlusses,*  
*vom Begründeten, auf den grund noch ein besonderes We-*  
*sen, als die ursache derselben anzunehmen &c. Veteres i-*  
*gitur illi Theologi tricus idealisticis omnes erant irre-*  
*titi; Deum a mundo non distinguebant, neque eum ut*  
*substantiam peculiarem & independentem, cujus vo-*  
*luntati origo mundi adscribenda esset considerabant!*  
*Æque ac FICHTE legis naturalis sanctionem a Deo non*  
*repetebant; eum hominibus felicitatem neque imper-*  
*ire, neque impertire posse, scilicet! Ac talia im-*  
*pudenter asserere & scribere, in conspectu orbis*  
*eruditi non verentur.*



res (e). Ut enim ubique, quoties cum his res est cavillatoribus, ita hoc imprimis loco monendum, quæstionem nobis esse non de vocabulo & nomine nudo Dei retinendo, sed de re, & natura quadam potente, intelligente &c. quæ præsidium virtuti promittat & vitiis metum incuriat.

*Sceptici* porro illi, qui dubitationem suam perpetuam & ad doctrinam de existentia & regimine Dei, nec non ad sanctionem moribus atque officiis humanis inde expectandam extendendo, nervos infringunt moralitatis, & fundamenta quibus officia nostra maxime innituntur vacillantia efficiunt; merito etiam illi in Atheismi incurrunt suspicionem. A quibus tamen Scepticis crassis & absurdis, sobrie & moderate dubitantes distingui debent. Inficiandum nempe non est, sobriæ & rationis imperio parentis dubitationis pretium, cujus ope multas jam dissipatas atque e Philosophia eliminatas fuisse agnoscendum est errorum nebulas.

§. VI.

---

(e) Non est mirum hos Philosophos disputare de Deo, ut sui tantum cerebri foetu, cum iidem, licet res extra se dari ulla vehementer negant, tamen publice docent, scribunt, disputant, in alios agere nituntur, officia sibi ab his (qui tamen omnino, nisi in mente FICHTII, SCHELLINGII &c. non existunt præstari volunt, ac denegari sibi indignantur, injuriasque sibi inferri queruntur, quas verborum contumeliis & scommatibus acerbè ulciscuntur.

§. VI.

Nec opus est, ut pro fide tuenda veritatis humano generi adeo salutaris ac necessariæ, ad omnes recentissimorum obscuras subtilitates extricandas descendamus, quasi fila aranearum percensere conaturi, ut de existentia Dei certi evadamus. Sufficit legibus sensus communis, obsequiose nos conformare, & quæ in omni vita tuto sequimur principia, iisdem hac quoque in re fidere. Ab effectibus ad causam iis producendis parem, a finibus luculenter sese prodentibus ad consilium auctoris, ab ordine ad ordinantem, & sic porro, sine hæsitatione concludere solemus. Eisdem concludendi modos ad Deum quoque ex operibus suis cognoscendum fidenter adhibere pergamus. Quod autem nullam aliam Philosophi, qui veterem Scholasticorum ut tricas in ratiocinando, ita stribliginem sermonis reducere in scenam conantur, admittendam statuunt demonstrationem, præter illam, quæ a priori, ut loquuntur, & a principiis rationis puræ deducitur, unde neque substantiarum extra nos positarum, (ac etiam Dei) existentiam demonstrari posse contendunt, (utpote quæ, ut quicquid de rebus extra nos existentibus scire homini datum est, alia via cum innotescit tum probatur), simile nobis consilium involvere videtur, ac si quis sonorum existentiam oculorum ope, colorum vero aurium auxilio demonstrare aggredere-  
tur; quod cum non succederet, inde concludens, ne-  
que

que Tonos ullos neque colores dari. Duplex nempe nobis a natura monstrata est, ad cognitionem adfurgendi via, æque nobis & necessaria, & fide digna; una a priori, intra idearum universalium pergens ambitum, quarum auxilio nobis acquirere possumus cognitionem veritatum abstractarum &c.; altera a sensu & experientia cum principiis inde collectis, quæ intra suam sphaeram æque feliciter porrigitur, eo minus contemnenda, quo certius constat, ideas prioris generis, nisi ab hoc genere subinde cohibeantur, facile in tricas inanes & subtiles ineptias abire. Magnam utraque in altera perficienda habet & ostendit vim, mutuoque auxilio indigent; sed utriusque pomœria commisceri tamen non debent. Ac cui est bono, subtilitatibus difficilibus persequendis mentem vexare, & bonas horas perdere? Numquam tamen per prætenfas illas demonstrationes, verborum miris formulis & phrasium portentis propositas, suffocare poterimus naturæ vocem, quæ alte clamat, non esse mera simulacra & phantasmata inania, res, quæ nos circumdant, cum quibus negotium nobis est, a quibus magna pars felicitatis nostræ pendet. Idem contingit nobis, ubi ab his speculationibus ad agendum nos conferre opus est, ac homini ex somnio evigilanti, qui spretis miris hujus imaginibus, earumque brevi oblitus, sensuum suorum testimonio confidit eique consilia sua secure conformat, non curans quod rationes harmoniæ eo-

D

rum

rum cum rerum externarum indole explicare nequeat.

§. VII.

Ex paucis jam, pro nostri quidem instituti ratione, delineatis, cum palmariis decretis in vera ac genuina Diviniatis notione finienda, ne Deum verbis statuendo, mox tamen re ipsa idem ex animis hominum tollatur, observandis, tum etiam placitis quibusdam philosophicis, quæ in hoc genere a veritate aberrare putavimus expositis, dispalescit: existisse, & nostro etiam ævo existere homines, quin Philosophos, Atheismi haud sane injuria accusatos, quod ea ratione in idea Dei fundamentali constituenda versati fuerint, ut ad ductum eorum philosophantibus, Numen obveniat aut tanto nomine plane non dignum, aut merum quoddam existimari debeat ingenii figmentum. Licet igitur non sæpe existant, qui expressis verbis Deum nobis eripiant; passim tamen Historiam Literariam pervolventi, & attento animo varia nostrorum etiam dierum perlustranti Systemata Philosophica, in oculos incurrent exempla eorum, quibus sententiæ, sibi probatæ, turpem & haud iniquam Atheismi suspicionem merito contraxerunt. Neque veritatem hujus assertionis infringit, quod supra monuimus, consequentias sententiæ cujusdam, etiam veras, non semper recte auctori vitioverti; valet enim hoc præceptum contra iniqua &

velli

vel maxime vituperanda eorum conamina, qui æquitati vim inferentes, & perversa haud raro interpretatione sententias aliorum detorquentes, ex illis malas consequentias, ab auctore nec provisas nec intentatas, elicere nituntur (a). Ubi vero mox & vel primo quidem obtutu, placita prolata Atheismo aperte faventia videris, ac ubi Auctor ipse monitus & reprehensus, eadem tamen audacter defendere & diligentius exponere non veretur; ibi justa utique excitatur Atheismi suspicio. Cujus generis scriptores, Athei licet sint indirecti (ut loquuntur qui de his rebus tractant), scripta sua tamen Atheismi veneno infecta, pertinaciter divulgantes, parum admodum a directis illis discrepant.

In hoc porro crimine vindicando & pestiferis harum doctrinarum cohibendis moliminibus, ne in sævitiam & immanitatem incidamus, cujus superiora secula, in ignominiam humani generis tetra præbent vestigia, non uno nomine commendanda est illa observatio, qua docetur, hujus vel petulantiae vel perversitatis convictos, non tam ut criminis in Deum

D 2

reos

---

(a) Quorum gregi, præ aliis, illos haud sane injuria annumerandos esse putamus, qui tutelam tricarum idealisticarum ex scriptis Patrum Ecclesiae & veterum Theologorum Protestantium, depromere conantur. Cfr. *Ergänzungs Blatt. zur Allg. Litt. Zeit. Erst. Jahrgang* Erst. Band, N:o 18.

neos esse damnandos, quam quod Civitati & hominibus perniciosæ doctrinæ semina spargendo, nocent. Horremus enim adhuc merito memoriam ætatis illius, humanitati deplorandæ, qua fanaticismus pietatis sub specie, quasi Dei tutelam sibi arrogans, comitante cæco furore, in adversarios suos, quos impietatis in Deum accusabat, per orbem terrarum sæviebat: atque hanc invidiam quibuscunque, a vulgaribus de Deo opinionibus discrepantes (saniores sæpe) sententias proponentibus, conflare nitebatur, ut crudelissimis eos cruciatibus afficere posset. Quid vero boni peperit hæc intolerantia etiam ubi homines oppressit non prorsus innocentes? Suspicionem auxit dubitantium, obstinationem confirmavit protervorum pietatis hostium, rationibus firmis destitui doctrinam afferentium, quam violentis opus esset tueri consiliis. Nec sine injuria opiniones ut scelera coerceri haud temere querebantur. Quin, ut alii errores, ita Atherorum illi conatus, non modo usu diligenti & justo rationis adhibito, retundi possunt, sed veritas etiam sanctissima eo solidius inde adstrui ac luce debita collustrari valuit. Quomodo hostes ipsi religionis acerrimi, contra suam intentionem ei plus profuerunt quam nocuerunt. Quare his armis pro ea defendenda maxime fidendum, & iis potissimum utendum est, quæ rationum robore impetus adversariorum fraugunt (b).

Cura:

---

(b) Cum homines etiam doctissimi, scripta tricus invo-

Cura autem Magistratus in cavendo, in contagionis periculo arcendo & amovendo, magis quam in ulci-

D 3

scen-

lata, bonæ frugis parum continentia, fere fastidiant; hinc fit ut Scriptores illi Atheistici minus sint formidandi, qui non aperte, sed per difficultium nugarum salebras, (ut Spinoza cum quibusdam aliis, etiam recentioribus) placita sua proponunt. A paucis enim legentur (nisi ubi simul accesserit sectæ alicujus studium fanaticum, ejusmodi nec hodie desunt exempla), parumque inde nocebunt. Fanatica autem molimina, quemcumque de cætero colorem aut faciem induant, cauta prudentia, non vehementibus consiliis, compescenda sunt. Alimenta iis subducendo, nonnunquam contemnendo, alias ea risui exponendo, veritate autem simpliciter & dilucide explanandâ, optime sedantur: neque solent esse diuturna. Fanaticæ vertiginis, certæ cuidam hodie Scholæ adhærentis, atque magis sese magisque prodentis, etiam hoc indicium est manifestum, non modo quod per obscurissimas tricas & linguæ barbariem infandam placita multa proponat mente cassa, sed etiam paradoxa omnis generis undique venetur, arripiat, suæque rationi accommodare studeat. Nisi novæ hujus, philosophiæ ope, preparatis hominum animis, vix putes contingere potuisse, ut Theologus celebris, idem in Novum Testamentum commentarios ederet & Spinozæ opera ornata atque commendata simul in lucem emitteret; ut famosi Sutoris Görlicensis (Jacobi Böhme), scripta delira, tanquam egregiam continere sapientiam a Philosophis celebrarentur; ut homines ad Protestantium Ecclesiam se pertinere dicti-

scendo versari debet. Unde patet, quam incongrua sit in hoc malo averruncando pœnarum crudelitas; quum ad summum, homo, cujus petulantia aliter coër- ceri nequit, custodiæ diligenti mandatus, ab omni nocendi facultate facile cohiberi queat. Post frustra igitur illis, qui pestiferas civitati non minus quam privatorum tranquillitati doctrinas diffundere student, impositum silentium, & factam illis de non vulgandis ac propagandis erroribus suis, imprimis de non do- cendo aut scribendo, ubi tales res attingunt, lingua populari, admonitionem; suæ sane protervitati & lin- guæ aut calami licentiæ atque intemperiei, incom- moda inde sibi contracta adscribant: cui ut indulgea- tur, Magistratui non licet publicæ negligere salutis curam.

Sed neque in scriptis horum hominum damnan- dis & publice prohibendis, præcipitantiùs agendum; quod sæpe accidit, cum judicia sua nimis sæpe festi- nanter Magistratus conformat ad iniquum certorum hominum clamorem, qui vel veram Philosophorum sententiam, obscurius forsan vel incautius propositam, non percipientes, vel turpi partium studio occæcati, omnia suis placitis ex assè non congruentia oderunt, atque

---

tantes, vitam Monasticam pro vera, maxime sublimi & divina Philosophia venditarent, cui omnis huma- na scientia longe sit postponenda: & sic porro.



atque malevolentia & livore capti, ad scripta fecus-  
 fentientium contorquenda & sinistre interpretanda ra-  
 piuntur. Qui igitur Magistratus, legem æquitatis  
 sancte custodire voluerit, ubi publica nulla librorum  
 edendorum censura constituta reperitur, examen scri-  
 ptorum talis infamiæ macula adsperorum, viris soli-  
 dæ doctrina nulloque allatorum commaculatis vitio-  
 rum, committet, antequam in ea publice animadver-  
 tere instituat; atque accusatis etiam facultatem con-  
 cedit, contra objecta sibi crimina sese defendendî, &  
 sensa sua explicandi. Qui conatus si sufficiens non  
 judicabitur, ac sententias perniciosas tueri ille per-  
 gat, aut si palam atque apertis verbis impietatem  
 profiteatur & commendat, ad severiora tandem con-  
 silia recurrendum est. Quo pacto declinabitur cri-  
 men illud iniquitatis & iudicii præcipitati, cujus haud  
 pauci, omni fere ævo, reos sese reddiderunt (c), &  
 reli-

(c) De quo vitio recte monet Poëta noster celeberrimus LEOPOLD: "Den krosfæde egenkârleken har i alla  
 "tider ropat emot öfverlägsenheten, tanklösheten e-  
 "mot ljuset som upptäckte henne; okunnigheten e-  
 "mot förnuft och insigter. Alla hafva stämt sit rop  
 "i den högsta ton de kunnat; alla hafva fordrat hämd  
 "af de mäktigaste krafter som kunnat såttas i verk-  
 "samhet. Derifrån desä ouphörliga ljud och gen-  
 "ljud af alltid samma ord: religion och samhålls-  
 "trygghet! Jemte desä temligen ofilosofiska försök,  
 "har man för ombytes skull äfven stundom utgifvit  
 "visä så kallade filosofiska. Man har deri utletat ra-

religionis tamen atque publicæ rei tutela, contra periculofos quosvis conatus prospere geretur.

---

"der ur filosofernas arbeten, ställt dem omvända,  
 "bakvända, nedvända, sidvända, i alla vändningar  
 "utom den rätta" e. f. p. Cfr. ejusd. *Samlade Skrifter*  
 & eruditissimam disquisitionem *Om Förnuftets frihet*,  
 Tom, III, pag. 300,

